Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

virginitatis extincte. quendam ex fratribus didimum nomine fide plenum mittere illam cellulam iubet. qui accepta auctoritate mandati celestis negotiationis consuetudine qua consueverat beniefacta mercari gemino insignis martyrio plus aliquid quam ipse pateretur effecit. aptat se in figura militis. primus ornatus exuviis et sic primus lupanar irrumpit. metuendus non theodore tantum sed etiam ceteris stupri amore devinctis. Hoc viso theodora perterrita singulos cepit angulos oberrare. fugiens persequentem. Cui didimus aliquando sic loquitur: Nescis ignora que fugias. non te terreat iste vestitus lupi. foris perspicis sed esse ovem interius scias. frater tuus sum. pariter adversator inimici. ancillam te domini et me servum esse cognosco. protector pudoris non expugnator huc venio. Indumenta mutemus. habitum ego feminee vestis accipiam. remansurus te evadere impios faciat horridus militis iste vestitus. Exi ad dominum. vicarium me relinquens hic. Te cultus protegat quo paulo ante timuisti. sit hec apostolici exempli quedam effigies ut figura. Illa mox paruit sciens non hoc missum esse auxilium quippe que nosset. quid danieli in lacu deus astantibus sevis leonibus prestitisset quid ve singulis iustis. Suras itaque virginales ocrea militaris inclusit pede dura crepido circumdedit omnemque ex more vestium clamus desuper emissa composuit. Tunc esurus capiti aptatus et pilleus et ad faciem usus vehementius coartatus ut partem vultus absconderet. Hoc autem didimus ex domini precepto vehementius intimaverat. ne quem respiceret exitura. nec interroganti respondere curaret. sed recta via civitatem festinaret effugere. Que egressa cepit considerare quid fuerat. quemadmodum illa ator sceleratorum impetum favor celestis abstulerat.

Sedebat didimus virginali veste perlucidus omnem curam an soror iam evasisset impendens de se intrepidus pro illa trepidabat. Sed ecce quidam ex impudentibus unus credens feminam in cubiculum violenter irrupit stupensque discedens ait. Forte et virgines transfert ille quem metuunt. masculum video. virgo sit scire non possum. Audiebamus precepto christi aquam vinum esse conversam. et nunc tam eximia fabula putabatur esse non veritas. quanto maius est quod videmus. Metuo ne ille qui virginem in virum mutavit. me vertat in feminam. Tunc didimus tamen glorie sue decus diutius latere non passus est. nam maxima voce proclamans non me invitum dominus. sed potius coronavit. Habens non inclusum perdidistis inclusam. geminum bonum. et ego occasionem passionis et illa invenit auxilium castitatis. et egressus singulis omnia acta memoravit. Quibus iudex cognitis ad subsellia sua eum iussit adduci. quis vocaretur interrogat. Ille ait. Didimus. Iudex dixit. Cuius impulsu hoc tantum facinus commisisti. Didimus ait. Deus huius auctor est facti. ille me compulit. Iudex dicit. Confitere antequam tormenta. ubi scis esse theodoram. Didimus ait. Per christum filium dei nescire me fateor. Scio enim quod deus non deserit in se credentes nisi non ita meritum facti huius adscribo. quia fidei eius hoc prestitum scio. quod et tu ipse bene nosti. si tamen volueris confiteri. Iudex dicit. Cuius es condicionis eloquere. Ait didimus. Christianus. liberatus a christo. Tunc furens iudex ait. Exquisitis illum tormentis duplicibusque constringite. ut et sua et illius quam fugavit pena crucietur. Respondit didimus. Rogo te ne preceptum regis tui diutina frustratione suspendas. Iudex ait. Per deos manent te gemina tormenta nisi sacrificare celeraveris. Didimus ait. Cur vinci a viro dubitas. victus a virgine. Vel qualem ipse futurum putas. quem scis pallio nil timere. Dei ergo me fateor omnipotentis athletam et quantum suspicor iam probavi. regis ergo tui exsequere mandatum. nam omnia me facilius pati scias posse quam vinci. Iudex ait. Propter audaciam incredibilis insanie rebelli huic caput iubemus abscidi. ceterum corpus extincti tradatur incendio. Satis fiat imperatoris legibus dum occiditur. nostre iracundie dum crematur. Didimus ait. Gratias tibi pater domini nostri ihesu christi. qui ceptis meis adesse dignatus es. et ancillam tuam theodoram intactam illesamque rapuisti. Gratias tibi cui placuit ut duplicem passionem et vivus et defunctus implerem gemina nunc me pena iustificat gemina victorie spes coronat. et anima pro domino suo patietur et corpus. Tunc decollatus iuxta sententiam iudicis flammis etiam exsanguia eius membra proiecta sunt. beatiora sine dubio futura post flammam. amen.

Explicit passio beate theodore virginis. et didimi monachi. Sub maximiano. imperatore.

Vita s. Gregorii episcopi et confessoris.

et depositis propriis indumentis militaribus